

planius & plenius id expositurus. E. *omnis infans, excepto solo Christo, ad minimum motibus primis ingeniti vitii difformibus est inquinatus: qui motus sunt verè peccabiles; quia sunt ἀνομοί, sine ullâ tropologiâ.*

31. Ex quo Syllogismo fluunt certa πορίσματα.

1. *Peccatum originale non esse torpidam qualitatem, nec malum otiosum, sed valdè operosum.*

2. *Primos istos originalis concupiscentiæ prave motus peccabiles ἀπεραιρέτως inseparabiliter pertinere ad peccatum originale: περαιρέτως verò ad peccatum actuale, exquisitè dictum.*

3. *Bellarminus lib. 5. de amiss. grat. & statu peccati c. 4. sycophantari, quando scribit, Lutherum, Philippum & Chemnitium peccatum originis non distinguere à peccato actuale.*

32. Quod est apertè falsum. Quando namque prædicti Theologi dixerunt, eorumque discipuli dicunt, peccatum originis esse activum, seu fomitem non torpidum, sed κακοποιόν; tum peccatum originale non confundunt cum actuale, pressè sic dicto; sed 1. Refutant Scholasticos (eorumque imitatores) qui peccatum originale dixerunt torpidam qualitatem. 2. Vitium hoc vocârunt & vocant peccatum actuale, non quòd sit actio aliqua (sc. περαιρετική) sed quòd sit actualis & vera pronitas, sive morbus & defectus reipsâ atque actu in homine existens, & non mera negatio, aut relatio, ut tandem ait & fatetur ipse Bellarm. citato loco. 3. Descripserunt & describunt his terminis ipsam, ut ita loquar, peccati originalis vivacitatem & ἐνεργημένω ejus qualitatem. 4. Opposuerunt & opponunt τὸ activum illi, quòd est merè potentiale & ἀεργόν.

33. 4. *In specie luculentam insuper D. Chemnitio fecisse injuriam, Bellarminum, dum ibid. asserit, quòd ipse cogitationem, etiam deliberatione confirmatam, apertè ad peccatum originis retulerit in part. 1. Exam. Concil. Trident. At hoc etiam evidenter falsum est. Licet Chemnitius, in explicatione vocis, jézer, ex Esa. 26. v. 2. asseverârit, quòd etiam cogitatio, quæ deliberatione confirmata est, sic vocetur: non tamen docet, quòd talis cogitatio sit ipsum peccatum originis; sed contra Andradium probat, quòd Gen. 6. & 8. capp. jézer, non significet duntaxat propensionem seu concupiscentiam ad peccandum, quæ mala dicatur non per se, sed ideò tantùm, quia ad malum propendeat & inclinet. Vide ipsum D. Chemnitium part. 1. Exam. Concil. Trid. de peccato original. p. 168. Qui etiam in parte 1. L. C. de peccatis actualibus.*